

† R. P. Eduardus Scully (1870-1931)

(*Prov. Toront.*)



Die 13 Iunii 1931, aegritudines diurnas aequo animo iam perpessus, P. P. Eduardus Scully, dilectissimus noster sodalis, in Domino obdormivit. Pauca quaedam rescire de vita eius, fidelissimi semper S. P. N. Alfonsi filii, legentium Analecta haud parum interesse putamus.

Eduardus Scully natus est in urbe Canadae Quebec d. 22 Martii 1870 et baptizatus in ecclesia S. Patritii, cuius curam habent Patres Redemptoristae. Annum circiter sextum agens a parentibus optimis inscriptus est scholae ad S. Patritii, cui praesunt sodales S. Ioannis Bapt. de la Salle. A tenerrimis autem annis vocationis sacerdotalis neconon religiosae conscientia fuit, cui vocationi respondens in iuvenatum nostrum in North East Pennsylvaniae ingressus est. Curriculo studiorum ibi completo signisque verae vocationis exhibitis, ad noviciatum Annapolitanum admissus est, et anno probationis exercitationisque in vita religiosa Magistro R. P. Dauenhauer peracto, paupertatis, castitatis, oboedientiae perseverantiaeque vota d. 29 Augusti 1892 nuncupavit.

Mense Septembri eiusdem anni, consueta sacra pro sacerdotio studia prosequendi causa, neo-professus prefectus est in Ilchester Marylandiae, ubi tunc erat studentatus Provinciae Baltimorensis. Incipiente denique anno quarto cursus sui theologici ad sublimem sacerdotii dignitatem a Iacobo Card. Gibbons, Archiepiscopo Baltimorensi, enectus est d. 23 Dec. 1897.

¹ *II Tim.*, 4, 7 sq.

Studiis expletis R. P. Scully successive assignatus est ad varias domus Statuum Foederatorum et Canadae: Boston, Brooklyn, St. John, Regina. Multos per annos in sacris missionibus et in laboribus paroecialibus vires diligenter impendit.

Constituta autem a. 1912 Vice-Provincia Canadensi, ipse una cum ceteris Redemptoristis originis Canadensis ad patriam missus est novae Vice-Provinciae entuleandae causa. Canada Occidentalis primum laborum eius theatrum fuit; novem enim se invicem succedentes annos operibus missionalibus ac paroecialibus in vicis oppidisque huius regionis, frequencia populi succrescentis, se devovit. Magistri divini vestigia sequens multa itinera fecit, oves perituars quaerens, ut ad ovile eas reduceret.

Anno 1921 Superiores maiores eum praefecerunt communitati et paroeciae in Yorkton collocatis. Dura sane haec officia. Communitas Yorktonensis curam habebat animarum derelictarum per terras valde extensas diffusarum. Hiemes longae, itinera difficilia, caeli temperies molesta, frigus 50 graduum infra « zero » (Fahrenheit). Haec omnia coniurant ad difficultates laboris apostolici augendas. Quae onera pedentim vires corporales Patris Scully superabant, et valetudine debilitata morbus eius lethalis, diabetes scilicet, coepit manifestari. Anno igitur 1924, positis officiis, missus est in Quebec ad domum nostram, ubi commorabatur usque ad felicem mortem.

Infirma valetudine non obstante in laboribus apostolicis adhuc perseverabat. Praesertim zelus eius pro aegrotantibus eminebat. Moribundis deferebat religionis solacia eosque praeparabat pro transitu in aeternitatem. Cappellanus nosocomii protestantici Jeffery Hale factus, multas habebat opportunitates zelum exercendi, tantaque cum prudentia munere fungebatur, ut omnibus satisfaceret nulliusque moveret animum contra religionem nostram. Acatholicis non minus quam catholicis erat pergratus.

Contionator habilis et eloquens fuit; voce robusta praeditus, in auditores sine difficultate dominabatur. Parvulos praesertim sciebat alloqui, attentione eorum non deficiente.

Septem annos diabete affligebatur. A medico ut curam daret conservanda sanitati monitus, nihilominus in paroecia laborare pergebat, maxime aegrotantes invisendo. Sex ultimos vitae suae menses morbo cordis affectus, in nosocomio degit. Omnia, quae potuit ars medicinae, facta sunt, sed Deus sanitatis recuperationem noluit. Misericordiae Dei Virginisque Beatae intercessioni usque ad mortem semper est confisus, et S. Ecclesiae sacramentis, quae ipse aliis tam saepe administrarat, confortatus, sine perturbatione e vivis emigravit d. 13 Iunii 1931. Die 26 eisdem mensis, exsequiis celebratis, in caemeterio ad S. Patritii sepultus est, ubi cum multis sodalibus diem Domini exspectat.

Nihil emicuit extraordinarium in vita huius humillimi S. Alfonsi filii. Vitam bono Redemptoristae consuetam peregit, saluti animarum labores impendit, Regulam suam vitamque religiosam amavit, denique maximam in sinu Congregationis moriendi gratiam est expertus. Speramus igitur eum illo praemio iam frui, quod olim promisit omnibus in finem perseverantibus Redemptor noster ac Dominus. — R. I. P.